

superinde conditos Incorporatione; et Slavorum quoque et Praedauciorum sub potestate eorundem Capitaneorum remanentium, sed per Commissionem Varasdiensem, Anni 1635. Regno et Regnicolis jam adjudicatorum, Generali ac plenaria resignatione; Officiorum Militarium aequali, vel ad minus alternata Collatione, mutuaque pacis et unionis inter Inclytas Vicinas Provincias et illud Regnum ulteriori conclusione, renovatione et conservatione, ac Justitia invicem administranda, aliisque universis, si quae interim non complanarentur, difficultatibus, finaliter complanandis; renovatur Articulus 31. Anni 1649.

§. 1. Et ulterius decernitur; ut una Generalis Commissio, intra Revolutionem unius Anni ab hinc computandi, Viennae instituatur et per eam, modo et ordine, in praecitato Art. 31. Anni 1649. uberius declarato, praemissae omnes difficultates, jam tandem complanentur. *)

Privilegia et Statuta Valachorum, in praejudicium Regni et Sacrae Coronae confirmata; cassantur.

Articulus 90.

De privilegiis et statutis Valachorum antea cassatis, jam vero recenter ex Cancellaria Germanica, in praejudicium Regni et Sacrae Coronae confirmatis; renovatur Art. 40. Anni 1635. **)

De restitutione Pagorum, recenter a Dominorum Terrestrium Jurisdictione avocatorum.

Articulus 91.

Quia vero annotati Valachi, utcunque Privilegiati, complures alios privatorum Valachorum Pagos; signanter vero Domini Comitis Georgii Junioris Erdödy, sub Castro Liudbreggh, Pagos circiter quinque; et Dominae Comitissae Annae Elisabethae Moscon, Consortis Domini Comitis Eberhardi ab Auerspergh, sub Castello Raszinya, Pagos octo; et insuper certorum Nobilium Pagos duos, ab eisdem Dominis Terrestribus, vel Praedecessoribus ipsorum, in Territorio suo locatos, ac tam in militaribus, quam in civilibus eisdem Dominis Terrestribus, hactenus subjectos et obedientes, a solita Dominorum Terrestrium obedientia, his recenter evolutis diebus avocassent et avulsissent; omnemque in illos jurisdictionem, ipsis Dominis Terrestribus inhibuissent ac interdixissent; eosdemque ad coetum suum applicare niterentur:

§. 1. Conclusum proinde est; ut universi hujusmodi Pagi, jam recenter a solita et usu roborata quorumcunque Dominorum Terrestrium jurisdictione, modo praemisso avocati et avulsi, prioribus ipsorum Dominis Terrestribus, non

*) Renovatur; An. 1662. a. 45. An. 1681. a. 63. Allegatur; An. 1715. a. 113.

**) Confirmatur; An. 1681. a. 64. Allegatur; An. 1715. a. 13.